



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 46. Rationum momenta contra Julii II. dispensationem Romæ alleganda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæc. XVI. nalis. Igitur Gregorius Casalius, qui
A.C. 1527. Romæ Regis Legatum pro more age-
 bat, caussæ decisionem urgere jubet. Hic Compendium, ubi tum Volfæus
 Cardinalis morabatur, contendit, atque
 ab eo, quid hac in re ageret, mandata
 recepit.

§. XLVI.

*Rationum momenta contra Julii II.
 dispensationem Romæ alle-
 ganda.*

Equidem inter ceteras, quas Rex ac
 Volfæus allegare potuissent, validis-
 sima fuisset ratio ex eo petita, quod le-
 gis Ecclesiasticæ solutio a Julio II. im-
 petrata legibus adversa, proin nulla es-
 set; ast ambo verebantur, ne caussa ca-
 derent, ac Romanæ Curiæ indignatio-
 nem incurrerent, si Romanorum Ponti-
 ficum auctoritatem in dubium vocare
 viderentur. Ergo Juris Pontificii ac
 Theologiæ Doctoribus dabatur nego-
 tium, ut saltem ipsi ex Pontificis Con-
 stitutione quædam eruerent, ex quibus
 præsata dispensatio nulla credi, eaque
 de caussa hoc negotium efficaci conatu
 urgeri posset, simulque ostendi, quod
 hæc Bulla non nisi quibusdam doloso si-
 lentioccultatis, aliis falso expositis
 fuisset obtenta, proin omnino revocan-
 da

da esset. Percipiamus eorum rationes, **Sæcul. XVI.**
 quibus ipsam dispensationem nullam **A.C. 1527.**
 esse evincere nitebantur. Igitur se-
 quentia allegabant illi. I. In præfata
 Constitutione exponitur, quod Henricus
 Princeps, ut Catharinam matrimonio
 sibi jungere valeret, a summo Pontifice
 dispensationem concedi postulaverit, id
 autem falsum esse ajebant, eoquod Hen-
 ricus tum nonnisi duodecim annos na-
 tus nondum ea ingenii maturitate pol-
 leret, quæ ejusmodi petitionem præce-
 dere deberet. II. Hujus impedimenti
 solutio per Henricum a Papa fuit peti-
 ta, eo fine, *ut vinculum pacis & amicitiae*
inter Ferdinandum & Isabellam Hispaniae
Reges diutius permaneret. Hanc vero ra-
 tionem manifeste falsam fuisse conten-
 debant Doctores, eoquod Princeps eo
 tempore nondum eam ætatem assecu-
 tus fuisset, ut adeo sublimia soveret con-
 filia, simulque sibi persuasum haberet,
 quod nuptiarum födere rebus publicis
 prospici posset. III. Addebant, in alle-
 gata Bulla affirmari, ejusmodi connu-
 bium ad conservandam pacem inter
 ambos Reges necessarium esse; id vero
 falso supponi dicebant; perperam enim
 summo Pontifici suggerebatur, ingens
 instare malum, nisi hoc födere rursum
 ambo hi Reges unirentur, cum tamen,
 et si nunquam de hisce nuptiis fuisset a-

Sæcul. XVI. cùm, uterque Rex sibi invicem bellum
 A.C 1527. intulissent, ac præterea eo tempore nec
 pacis violatio, nec alia calamitas ti-
 menda fuisset. Ex his inferebant illi,
 hoc Pontificis diploma per fraudem fuis-
 se impetratum, his quoque subjunge-
 bant, Henricum VII, & Isabellam jam-
 jam mortalitatem exuisse, priusquam
 Henricus VIII. Catharinam duxisset,
 proin matrimonium validum dici haud
 posse, quod unice ideo obtentum esset,
 ut pax conservaretur inter duos, qui ta-
 men concessò conjugii usu jam supre-
 mum diem obiissent. Denique ajebant,
 quod Henricus VIII, simul ac e tuto-
 rum potestate exiisset, contra hoc ma-
 trimonium reclamasset, proin quicquid
 ejus nomine ac durante pupillari illius
 ætate fuisset a Papa petitum, eo ipso re-
 vocatum nullumque censendum sit,

§. XLVII.

*Knigthius in causa divortii Roman
 ablegatus.*

*Le Grand
 hist. du di-
 vorce to. I.
 p. 59.*

Nihilominus, cum præsentes tem-
 poris, rerumque calamitates, qui-
 bus Clemens Papa premebatur, haud
 dubie promitterent, eundem facile Re-
 gis voto concessurum, hinc divortii ne-
 gotium ardenter urgebatur, hancque
 in rem Henricus Rex Knigthium Do-
 ctorem,